

II. LOCALIS MOTUS IMMEDIATUS NON POTEST DARI. Scilicet, corpus, quod movetur motu locali, necesse est, ut ab extremo ad extremum per media perveniat<sup>1</sup>. Huic effato respondet illud, quod iam explanatum est, *Ab extremo ad extremum non datur transitus nisi per medium*<sup>2</sup>. Monente autem s. Thoma, moveri de extremo in extremum, quod corpori convenit, non potest per se convenire Angelo; nam « corpus mensuratur, et continetur loco, unde oportet quod sequatur leges loci in suo motu. Sed substantia Angeli non est subdita loco ut contenta, sed est superior eo ut continens; unde in potestate eius est applicare se loco prout vult per medium, vel sine medio<sup>3</sup> ».

III. LOCUS EST IMMUTABILIS TERMINUS CONTINENTIS. Scilicet, locus non dicitur moveri, quando aliquid secundum locum movetur. Etenim, ut paulo ante diximus, « motus localis non variat rem secundum aliquid ei inhaerens, sed solum secundum aliquid extrinsecum<sup>4</sup> ». Atqui « quando illud, secundum quod aliquid mutari dicitur, est extrinsecum, tunc in illa mutatione non mutatur, sed immobile perseverat<sup>5</sup> ». Ergo locus est immutabilis terminus continentis. Quod quidem perspicuum est « eo quod per localem motum non dicitur esse successio locorum in uno locato, sed magis successio locatorum in uno loco<sup>6</sup> ».

IV. LOCUS PROPRIE MATHEMATICIS NON DEBETUR. Ratio est, quia in mathematicis consideratur quantitas, prout est quantitas, non autem prout in rerum natura existit. Atqui « quanto, prout quantum est, non debetur proprie locus, sed prout habet determinatam naturam ». Ergo « mathematicis similitudinarie dandus est locus<sup>7</sup> ».

V. LOCUS TOTIUS EST ETIAM LOCUS PARTIUM. Hoc effatum accipiendum non est, quatenus idem numero sit locus totius et partis, siquidem « esse totius non est alicuius suarum partium<sup>8</sup> »; sed quatenus pars eundem specie locum habet, ac totum; vel potius quatenus idem est ordo partium, ac totius, cum hoc vel deorsum descendit, vel sursum ascendit.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. LXXVII, a. 2 c.—<sup>2</sup> Vid. p. 123.

<sup>3</sup> I, q. LIII, a. 2 c.—<sup>4</sup> *Cont. Gent.*, loc. cit.

<sup>5</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. I, a. 6 c.—<sup>6</sup> *Ibid.*

<sup>7</sup> S. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. 11, a. 2 ad 3.

<sup>8</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. IV, a. 5 ad 2

VI. LOGICA EST OMNIA ET NIHIL. Logica nempe est omnia in potentia; quia ille, qui Logicam perfecte possidet, omnia facile capit artium et scientiarum genera. Est autem nihil; quia non docet res, sed rationem tractandi res, quae in aliis scientiis proponuntur: Sicut enim nauta utitur navi a fabro accepta, atque faber non navigat, ita Logicus non disputat, sed docet alios disputare<sup>1</sup>.

## M

### DISTINCTIONES

I. MALUM—DEFECTUS—PECCATUM—CULPA<sup>2</sup>.

II. MALUM NATURAE—MALUM CULPAE. *Malum naturae* est privatio entitatis alicui debitae; cuiusmodi est in homine privatio oculi, pedis etc. Hoc autem malum naturae « quandoque est a causa naturali, et tunc dicitur malum naturae non solum quia privatur naturae bonum, sed etiam quia est effectus naturae, sicut mors naturalis, et alii huiusmodi defectus: aliquando vero malum naturae provenit ex causa non naturali, sicut mors, quae violenter infertur a persecutore<sup>3</sup> ». *Malum culpae*, seu morale consistit in discrepantia alicuius actionis a recta ratione.

III. MATERIA—FORMA<sup>4</sup>.

IV. MATERIA PRIMA—SECUNDA. *Materia* dicitur prima, cum spectatur, quatenus omni plane forma est destituta, atque omnium est capax<sup>5</sup>: « Id communiter materia prima nominatur, quod est in genere substantiae, ut potentia quaedam intellecta praeter omnem speciem et formam; quae tamen est susceptiva formarum<sup>6</sup> ». Dicitur vero se-

<sup>1</sup> « Est enim Logices, quae verborum dictorumque videtur continere rationes, proprietatesque, et improprietates, generaque, et species, et figuras singulorum quoque edocere dictorum; quam utique disciplinam non tam separari, quam inseri ceteris convenit et intexi »; Orig., *In Canticum Canticatorum*, Prologus.

<sup>2</sup> Vid. p. 91.—<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XLII, a. 2 c.

<sup>4</sup> Vid. p. 127.—<sup>5</sup> *Ibid.*

<sup>6</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.* a. 1 c. « Aristoteles, et Plato materiam corpoream illam quidem vocarunt, sed forma, specie, figura et qualitate carentem, si eam suapte natura spectaveris, quae tamen uti formarum omnium receptaculum est »; Euseb., *Praep. Ev.*, lib. XV, c. 44.

*cunda*, prout iam aliqua forma est donata, puta materia ligni, ex qua conficitur scamnum: Quare *materia prima* est « illud in quo ultimo stat resolutio corporum naturalium, quod oportet esse absque omni forma <sup>1</sup> ». Materia autem *secunda* est totum compositum naturale, quod dicitur *materia* respectu accidentium, quorum subiectum esse potest. Monendum autem est cum eodem sancto Doctore materiam *primam* ita vocari, *secundum quod primum importat ordinem naturae*; nam « alio modo dicitur materia prima, secundum quod *primum* importat ordinem temporis, illud scilicet, quod duratione praecessit ordinatam dispositionem partium mundi, qualis nunc cernitur, secundum eos qui ponunt non a principio creationis omnia distincta fore; et sic accipiendo materiam primam oportuit eam habere aliquam formam <sup>2</sup> ».

V. MATERIA PROPRIE—IMPROPRIE ACCEPTA. *Materia proprio sensu accepta* est quae, uti diximus, formam substantialem suscipit, et ex qua simul cum forma aliquid totum specificum exurgit. Hinc materia *proprie* accepta oportet: 1<sup>o</sup> ut non sit accidens, sed pars substantiae; 2<sup>o</sup> ut immediate formam substantialem, non vero aliquam formam accidentalem suscipiat; 3<sup>o</sup> ut a qualibet forma separari nequeat; 4<sup>o</sup> ut a pluribus formis substantialibus simul determinari non possit; 5<sup>o</sup> denique, ut limitet formam ad constituendum individuum <sup>3</sup>. *Materia autem metaphorice et improprie* accepta non aliud significat, quam potentiam suscipiendi quaecumque formam sive substantialem, sive accidentalem; quo sensu potentia intellectiva, quatenus intellectionem, et species intelligibiles in se recipit, potest appellari *materia*; item essentia spiritualis, sive forma creata, quae in materia non subsistit, puta Angelus, quatenus existentiam in se suscipere potest, dicitur *materia*, siquidem in ipsa « est compositio potentiae, et actus, et per consequens materiae et formae, sed tamen hoc non est proprie dictum secundum communem usum loquendi <sup>4</sup> ». Quare materia *aequivoce* de utraque

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XII, q. I, a. 4 sol.

<sup>2</sup> Ibid. « Materia, ex qua coelum, terraque formata est, ideo informis vocata est, quia nondum formata erant, quae formari restabant »; s. Isidor. Hispal., *Sententiarum* lib. I, c. 8.

<sup>3</sup> Vid. p. 128-129.

<sup>4</sup> *Qq. dispp., De Sp. cr.*, q. un., a. 1 sol. et ad 1.

materia *proprio et improprio sensu accepta praedicatur* <sup>1</sup>. Ex quibus perspicitur materiae *metaphorice* sumtae necesse non esse, ut ea convenient, quae circa materiam proprie dictam assignantur. Siquidem potest illa, e. g., omni forma sibi superaddita denudari, uti patet in humano intellectu, qui tamquam *tabula rasa* <sup>2</sup> esse potest; item, potest recipere formam secundum rationem formae, idest nullo circumscriptam limite, sed secundum totam illam, quae formae propria est, universalitatem, uti intellectus recipit speciem intelligibilem secundum propriam huius formae rationem.

VI. MATERIA SENSIBILIS—INTELLIGIBILIS. *Materia dicitur sensibilis*, prout in ea spectantur tum quantitas, tum qualitates sensibiles. Dicitur autem *intelligibilis*, prout in ea spectatur tantum quantitas, a qualitatibus sensibilibus seiuncta: « *Materia sensibilis dicitur materia corporalis, secundum quod subiacet qualitatibus sensibilibus, scilicet calido et frigido, duro et molli, et huiusmodi* ». Iam utraque potest esse vel *communis*, seu *non signata*, vel *individualis*, seu *signata*. Dicitur *signata*, secundum quod consideratur cum determinatione dimensionum, harum scilicet, vel illarum: *Non signata* autem, quae sine determinatione dimensionum consideratur. E. g., communis, seu *non signata* materia est caro et os; individualis autem, seu *signata* sunt hae carnes et haec ossa. Porro inde diversi gradus enascuntur, quibus intellectus a materia abstrahere potest. Etenim potest abstrahere tantum a materia *sensibili signata*; e. g., cum intellectus speciem hominis intelligit, non abstrahit quidem a carnibus, et ossibus, sed tantum ab his carnibus, et his ossibus; siquidem singularitas rei ad rationem speciei non pertinet: In mathematicis autem non fit abstractio a materia *intelligibili communi*, quia res non possunt considerari sine conceptu substantiae quantitati subiectae; sed fit abstractio tum a quacumque materia *sensibili*, nempe a qualitatibus sensibilibus sive in individuo sive in communi spectatis, tum a materia *intelligibili individuali*, quatenus res considerantur sine hac, vel illa substantia. Denique potest intellectus abstrahere etiam a materia *intelligibili communi*, puta cum in-

<sup>1</sup> *De ente et essentia*, c. 5.—<sup>2</sup> Vid. p. 189.

telligit ens, unum, et alia huiusmodi, quae etiam esse possunt sine materia, ut patet in substantiis immaterialibus <sup>1</sup>.

VII. **MEDIUM COGNITIONIS SUB QUO—QUO—IN QUO.** *Medium, sub quo* aliquid cognoscitur, est illud quod perficit potentiam cognitricem, ut sese exercere possit; huiusmodi est lumen corporale respectu visus corporalis, et lumen intellectus agentis respectu intellectus possibilis. *Medium quo* est species, seu similitudo rei cognitae, quae in potentia cognitrice existit, eamque ad cognoscendam rem, quam repraesentat, determinat. Hinc *lumen gloriae*, quo Beati, ut Fides docet, indigent ad videndam Dei Essentiam, non est lumen *quo*, sed lumen *sub quo*; nam non est veluti similitudo, in qua Deus videatur, ipsa enim Essentia Divina erit qua intellectus noster videbit Deum; siquidem per nullam similitudinem creatam Deus videri potest; sed est illud lumen veluti quaedam perfectio confortans intellectum ad videndum Deum, seu elevans ipsum ad hoc, quod Essentiae Divinae, quae formae intelligibilis vices gerit, coniungi possit <sup>2</sup>. Denique *medium in quo* est illud, *per cuius inspectionem ducitur* potentia cognitrix in aliam rem; huiusmodi est speculum, in quo quis videt obiectum in eo repraesentatum, vel effectus, a quo in cognitionem causae devenimus, ita ut similitudo causae nostro intellectui imprimatur non immediate ex causa, sed ex effectu, in quo similitudo causae resplendet. Hoc triplici medio homo in hac vita indiget ad cognoscendum Deum, scilicet ipsa creatura, ex qua in Divinam cognitionem ascendit; et similitudine ipsius Dei, quam ex creatura accipit; et lumine, quo perficitur ad hoc ut in Deum dirigatur, sive sit lumen naturae, ut lumen intellectus agentis, sive gratia, ut fidei et sapientiae <sup>3</sup>.

VIII. **MEDIUM PER ABNEGATIONEM—MEDIUM PER PARTICIPATIONEM.** *Medium per abnegationem*, seu *recessionem ab utroque extremo* habent ea extrema, inter quae nulla est societas. Ita virtus moralis est media inter vitia extrema,

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. LXXXV, a. 1 ad 2, et *Qq. disp., De Ver.*, q. II, a. 6 ad 1.

<sup>2</sup> Vid. s. Thom., I, q. XII, a. 3 ad 3.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom., I, q. XCIV, a. 1 ad 3; *Qq. disp., De Ver.*, q. XVIII, a. 1 ad 1; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 1 ad 15.

quia cum illis misceri nequit; siquidem vitia extrema in eo consistunt, quod « in passionibus et operationibus humanis aliquis excedat modum rationis, vel deficiat ab eo; virtus autem moralis attingit modum rationis, qui est mensura et regula omnium passionum et operationum humanarum, ac proinde ab illius modi tum superabundantia, tum defectu recedit <sup>1</sup> ». *Medium per participationem* est illud, quod de extremis aliquid participat. Hoc modo color fuscus est medius inter album et nigrum.

IX. **MEDIUM REI—MEDIUM RATIONIS.** Medium, per quod virtus attingit regulam rationis, est *medium rationis*, quia virtus est *bonum hominis, quod est secundum rationem esse* <sup>2</sup>. Iam si ratio hoc medium a re ipsa tantum petit, tunc ipsum dicitur *medium rei simul et rationis* <sup>3</sup>; si a personarum, aliorumque adiunctorum qualitate, dicitur tantum *medium rationis*. E. g., medium, quod sequitur iustitia *commutativa*, est *rationis simul et rei*, quia respicit in contractibus ipsum valorem rei, qui aequalis in omnibus est. Liberalitas vero, cum respiciat qualitatem donantis, occasionem, et alia, quae varia sunt, sequitur tantum *medium rationis*.

X. **MEDIUM SUBIECTI—MEDIUM FORMAE** <sup>4</sup>.

XI. **MENSURA ACTIVA—PASSIVA.** *Mensura passiva*, seu *formalis*, quae magis proprie *mensurabilitas* dicitur, est illud, ratione cuius res mensurari possunt; puta quantitas illud est, per quod corpora mensurabilia sunt. *Mensura activa*, seu *instrumentalis* est illud, quo utimur ad aliquid mensurandum. Haec autem mensura *activa* vel est mensura *molis*, et est ea, unde expenditur quota res sit, vel quam extensa, e. g., utimur ulna, vel modio, per cuius multiplicationem alia quanta metimur; vel est mensura *virtutis*, seu unde rei perfectio dignoscitur, atque est id, ad quod quo magis res accedit, perfectior aestimatur, et a quo quantum recedit, imperfectior evadit. Hoc sensu diximus finem esse *mensuram* mediorum <sup>5</sup>.

XII. **MERITUM DE CONDIGNO—MERITUM DE CONGRUO.** *Meritum de condigno* est illud, quod quamdam aequalitatem

<sup>1</sup> *Qq. disp., De Virtut.*, q. I, a. 13 c.

<sup>2</sup> *Ibid.* ad 8.—<sup>3</sup> *Ibid.* ad 7.

<sup>4</sup> Vid. *Contraria immediata—mediata*, p. 70-71.

<sup>5</sup> Pag. 137.

saltem proportionis cum praemio habet, et ideo mercede ac praemio ex se dignum est, ita ut ei ex quadam iustitia debeatur merces ac praemium. *Meritum de congruo* est illud, quod nullam aequalitatem cum praemio habet, ac proinde mercede ex se dignum non est, quae tamen ei redditur non quidem ex debito iustitiae, sed ob quamdam decentiam. Ea quomodo utrumque hoc meritum a s. Thoma explicatur: « Meritum proprie dicitur actio, qua efficitur, ut ei, qui agit, sit iustum aliquid dari. Sed iustitia dicitur dupliciter: Uno modo proprie, quae scilicet respicit debitum ex parte recipientis; alio modo quasi similitudinariae, quae respicit debitum ex parte dantis; aliquid enim decet dantem dare, quod tamen non habet recipiens debitum recipiendi. . . Et secundum hoc etiam meritum dicitur dupliciter: Uno modo actus, per quem efficitur, ut ipse agens habeat debitum recipiendi, et hoc vocatur meritum condigni: Alio modo, per quem efficitur, ut sit debitum dandi in dante secundum decentiam ipsius; et ideo hoc meritum dicitur meritum congrui <sup>1</sup> ».

XIII. MODUS—SPECIES—ORDO. Adhibentur hae voces ad denotandam diversam comparisonem creaturae ad Creatorem secundum triplex genus causae. Scilicet « modus attenditur secundum comparisonem creaturae ad Creatorem in ratione causae efficientis; species in ratione exemplaris causae; et ordo in ratione causae finalis <sup>2</sup> ». Vel *modus* significat determinationem principiorum, ex quibus forma, seu essentia rei constituitur; *species* ipsam formam, quia res per formam in sua specie constituitur; *ordo* « inclinationem rei ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid huiusmodi <sup>3</sup> ».

XIV. MORALITER—PHYSICE. 1° *Moraliter* agere dicitur ille, qui libere agit; *Physice*, qui natura sua determinatur ad agendum. 2° *Moraliter* agere ille dicitur, qui suam agendi vim in aliquid non confert, sed alios vel exemplo, vel imperio, vel consilio etc. ad illud producendum movet. *Physice* autem qui vera et reali actione aliquid producit <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XV, q. I, a. 3, sol. 4 c.

<sup>2</sup> S. Bon., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, a. II, q. 1 resol.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., I, q. V, a. 5 c. Vid. *Bonum cuiuslibet creaturae consistit in modo, specie, et ordine*, p. 50.

<sup>4</sup> Vid. p. 62.

XV. MORALITER—PHYSICE—METAPHYSICE. 1° *Metaphysice* certum nobis est illud, quod in ipsa rei essentia; *physice*, quod in naturae legibus et mundi ordine; *moraliter*, quod in ordinis moralis legibus, quibus nempe mores hominum temperantur, fundatum esse perspicimus, cuiusmodi sunt, homines non mentiri, nisi quidquam sit, quod eos ad fallendum moveat; ex sola veritate homines ad consensionem adduci posse etc. E. g., *metaphysice* certum nobis est ens cogitans simplicitate gaudere, quia haec proprietas entis cogitantis ab eius essentia fluit: *Physice* certi sumus de combustione stupae, posita illius appropinquatione ad ignem, quippe scimus naturae leges minime pati, ut secus res ipsa contingat: *Moraliter* certitudine scimus Romulum et Remum prima Romae fundamenta iecisse; cum enim vetustissimi omnes haec de re sibi mutuo plane consentiant, quin vera haec res sit, dubitare nequimus. Vel etiam latiori significatione *moraliter* certum est illud, quod gravi probabilitate innititur, quae ad rectam prudentemque operationem loco certitudinis haberi potest. 2° *Metaphysice* dici solet impossibile illud, quod in seipso contradictionem involvit, cuiusmodi est homo ratione carens <sup>1</sup>; *Physice* illud, quod licet in seipso nullam contradictionem involvat, atque adeo reipsa esse possit, vires tamen naturae omnino superat, puta mortuum ad vitam revocari <sup>2</sup>; *Moraliter* illud, quod regulis, quibus hominum mores diriguntur, repugnat. Ita impossibile est testem mentiri, cum praevidet mendacium detectum iri; aut illum deceptum esse in facti observatione, quod in sensus facile incurrit, cuiusque vel sua, vel suorum valde interest <sup>3</sup>. Vel etiam *moraliter* impossibile dicitur illud, quod non nisi maxima cum difficultate fieri a nobis pot-

<sup>1</sup> Vid. *Possibile intrinsece—extrinsece*, litt. P. • Impossibile dicitur, quod nulla omnino ratione fieri potest »; e. g. « ut sit quod non est, aut ut bis duo simul et quatuor sint, et decem »; s. Greg. Nazianz., *Orat.* XXXVI.

<sup>2</sup> « Illud quoque impossibile dicitur, quod natura quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile est. Quo in genere est illud, hominem bis nasci non posse, nec acu camelum admitti. Quid enim prohibeat, quominus haec fiant, si Dei voluntas ita tulerit? » s. Greg. Nazianz., *ibid.*

<sup>3</sup> « Fieri non posse dicitur, a quo nostra voluntas abhorret »; s. Greg. Nazianz., *ibid.*

est, ideoque numquam, aut fere numquam efficitur<sup>1</sup>. Ita est impossibile, ut qui festinus est pedibus, numquam offendat. Hoc modo dicitur etiam aliquis *non posse sanari, quia non potest de facili sanari*<sup>2</sup>.

XVI. MOTUS PROPRIE ACCEPTUS — IMPROPRIE ACCEPTUS. *Motus* 1<sup>o</sup> *improprie*, et quidem latissime sumitur pro quacumque operatione etiam immanente. Hoc sensu motus tribuitur ipsi Deo; unde illud Platonis, *Primum movens movet seipsum*<sup>3</sup>. 2<sup>o</sup> *Improprie*, sed paullo strictius pro quacumque mutatione, vel successione sive corporali, sive spiritali, quatenus quaevis mutatio aliquam possibilitatem consequitur<sup>4</sup>. Hoc sensu solus Deus dicitur immobilis, omnes vero creaturae dicuntur mobiles<sup>5</sup>. 3<sup>o</sup> *Proprie* sumitur pro speciali quadam mutatione, quam cernimus in rebus sensibilibus, et quae conditionem corporis sequitur. Hoc sensu motus a Peripateticis definitur: *Actus entis in potentia prout in potentia*<sup>6</sup>. Nempe, dicitur *actus entis in potentia*, quia sicut formae sive substantiales, sive accidentales *actu*ant ens, sive potentiam passivam ipsius ad illas recipiendas, ita et motus; siquidem mobile ante motum habet potentiam passivam ad *moveri*. Dicitur autem *prout in potentia*, ut significetur motum ita *actuare* potentiam passivam ipsius receptivam, ut simul relinquat illam capacem ulterioris actus recipiendi, quippe quod relinquit subiectum in potentia non solum negativa, quae consistit in negatione perfectae actualitatis, sed etiam positiva, quae praeter negationem perfectae actualitatis denotat ordinationem illius, quod dicitur esse in potentia, ad actum perfectiorem, ut est terminus ipsius motus<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> « Saepissime asserere solemus impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus »; s. Anselm., *De conc. gratiae, et liberi arbitrii*, c. X.

<sup>2</sup> S. Thom., 3, q. LXXXVI, a. 1 ad 2.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom., 1, q. IX, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. III, a. 1 *sol.*

<sup>5</sup> 1, q. IX, a. 2 c.

<sup>6</sup> Vid. s. Thom., *In lib. III Physic.*, lect. I.

<sup>7</sup> « Motus est actus eius, quod est in potentia, quatenus est in potentia. Velut aes potentia statua est. Aes quippe statuae formam potest suscipere. Aeris itaque, quod potentia statua est, in eo actus positus est, ut dissolvatur, et formetur ac expoliatur; quae omnia sunt motus »; s. Damasc., *Dialect.*, c. 61.

Sane, motus est actus quidam, sed sua natura ad aliquid acquirendum tendit; hinc ens, quod movetur, est in *potentia* ad id quod consecuturum est, et in *actu* eo ipso quo movetur. E. g., aqua, dum calefit, est in *actu*, quia aliquid habet de forma caloris; sed est in *potentia* ad ulteriorem gradum caloris. Quare motus 1<sup>o</sup> definitur etiam *actualis tendentia mobilis ad terminum*; 2<sup>o</sup> Dicitur « actus imperfecti, idest existentis in potentia<sup>1</sup> », cum « omnis motus sit per exitum de potentia in actum<sup>2</sup> ». 3<sup>o</sup> « Non est ens completum, sed est via in ens, quasi medium quid inter potentiam puram, et actum purum<sup>3</sup> ». 4<sup>o</sup> Differt ab operatione, « quia operatio est actus perfecti, sed motus est actus imperfecti, quia existentis in potentia<sup>4</sup> ».

XVII. MOTUS ACCRETIONIS — DECRETIONIS — ALTERATIONIS. *Motus accretionis* et *decretionis* spectant ad quantitatem, prout haec augetur, vel minuitur. *Motus alterationis* respicit qualitatem, quae immutatur; ut cum aer ex lucido fit tenebrosus. Porro *alteratio*, si accipiatur *communiter*, prout nempe consistit in qualibet variatione circa receptionem alicuius qualitatis, potest etiam creaturis pure intellectualibus convenire; at si accipitur *proprie*, prout abiicitur aliquid a substantia ex *actione contrarii transmigrantis*, « non est nisi circa sensibilia et circa sensibilem partem animae per se, et circa intellectum per accidens, quantum ad illas qualitates, quae in parte intellectiva ex sensibus oriuntur, sicut sunt omnes habitus acquisiti<sup>5</sup> ».

XVIII. MOTUS SUCCESSIVUS — MOTUS INSTANTANEUS. Eorum, quae acquirunt aliquam formam, et transeunt e potentia ad actum, quaedam id consequuntur momento temporis, alia vero paulatim et per gradus. E. g., aer, orto sole, momento temporis fit lucidus, lignum e contrario paulatim calefit. Prima mutatio vocatur *motus instantaneus*; quatenus « terminus ad quem non est mediatu termino a quo »; altera *motus successivus*, quatenus « terminus motus est mediatu principio motus<sup>6</sup> ». Porro, licet

<sup>1</sup> 1, q. XVIII, a. 3 ad 1.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VII, q. 1, a. 1 ad 3.

<sup>3</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. 1, q. 1, a. 4, *sol.* 2 c.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. IV, q. 1, a. 1 ad 1.

<sup>5</sup> *Ibid.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 5.

<sup>6</sup> *Ibid.*, Dist. XXXVII, q. IV, a. 3 *sol.*

*motus* definitio paulo ante allata magis proprie conveniat motui *successivo*, tamen etiam motibus *instantaneis* accommodari potest. Etenim in his etiam distinguimus duos status, duoque instantia, non quidem temporis, sed *naturae*, scilicet unum, in quo forma concipitur fieri, alterum, in quo concipitur facta. Ita in generatione hominis distinguimus unum instans naturae, in qua materia acquirit formam hominis, aliud, in quo est sub ipsa forma. Nisi quod, monente s. Thoma, in mutationibus, quae dicuntur *instantaneae*, oportet quidem « esse annexam successionem, cum constet materiam non simul esse sub forma, et privatione, nec aerem esse simul sub luce et tenebris: Non autem ita quod exitus, vel transitus de uno extremo in aliud fiat tempore, sed alterum extremorum, scilicet primum, quod in mutatione abiicitur, est coniunctum cuidam motui, vel alterationi, sicut in generatione et corruptione, vel motui locali solis, sicut in illuminatione, et in termino illius motus est etiam terminus mutationis. Et pro tanto mutatio illa dicitur esse subito, vel in instanti, quia in ultimo instanti temporis, quod mensurabat motum praecedentem, acquiritur illa forma, vel privatio, cuius nihil prius inerat, et in illo instanti dicitur generatum esse, non proprie generari, quia omne, quod generatur, generatur, ut in IV Phys. probatur. Unde omnes tales mutationes instantaneae sunt termini cuiusdam motus <sup>1</sup>».

XIX. MOTUS VIOLENTUS — NATURALIS. *Motus naturalis* est in eo, qui vel movetur ex principio intrinseco, vel movetur a principio extrinseco, sed tamen secundum propriam naturalem inclinationem <sup>2</sup>. Primo modo plantae naturaliter crescunt: altero modo lapis deorsum movetur. Quocirca « non eodem modo omnes motus *naturales* dicuntur; sed quidam propter principium intus existens..., et quidam propter principium passivum, quod est secundum potentiam ab agente natam in actum educi <sup>3</sup> ». *Motus violentus* est in eo, qui ab aliquo extrinseco principio movetur contra suam propriam propensionem; ita ut moveatur in aliquid diversum ab eo, in quod eius inclinatio tendit, vel quoad *finem inclinationis*, puta si lapis, qui naturaliter tendit ad hoc, quod feratur deorsum, proiciatur

<sup>1</sup> *Ibid.* —<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. VI, a. 5 ad 2.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 sol.

sursum; vel quoad *modum* tendendi, puta si lapis velocius proiciatur deorsum, quam sit motus eius naturalis <sup>4</sup>. Illud, quod vim infert, vocatur *violentum activum*, seu *violentans*; illud vero, in quod agitur violentia, vocatur *invitum* et *vim patiens* <sup>5</sup>. Quod si motus, seu actio sit *supra naturam* vel quoad *principium et terminum*, ut patet de glorificatione corporum; vel tantum quoad *principium*, « sicut patet in illuminatione coeci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam »; tunc motus, seu actio *miraculosa* existit <sup>6</sup>.

XX. MUTATIO SUBSTANTIALIS—ACCIDENTALIS. *Mutatio accidentalis*, quae proprie dicitur *variatio* <sup>4</sup>, est transitus de uno accidente in aliud accidens, cuiusmodi sunt accretio, decretio, alteratio <sup>5</sup>, et motus locales. *Mutatio substantialis* est ea, per quam res a *non esse* ad *esse*, vel ab *esse* ad *non esse* transmutatur, ac proinde in generatione, vel corruptione consistit <sup>6</sup>.

## M

### EFFATA

I. MAGIS ET MINUS ACCIPITUR SECUNDUM MAIOREM ACCES-  
SUM AD TERMINUM. « Dicendum, inquit s. Bonaventura, quod verum est in his, quae dicunt positionem, non autem in his, quae dicunt privationem, immo accipiuntur per recessum. Unde magis malum dicitur quod magis recedit a bono; et quia numquam tantum recedit, quin adhuc magis possit, hinc est, quod numquam est ibi ponere summum <sup>1</sup> ».

II. MAGIS ET MINUS NON VARIANT SPECIEM. Hoc effatum verum est, cum *magis* et *minus* diversam participationem unius naturae significant, seu maiorem, vel minorem intensionem unius formae. E.g., albitudo, etsi sit perfectior

<sup>1</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CLXXV, a. 1 c.

<sup>2</sup> Quomodo *violentum* distinguatur contra *voluntarium*, vid. litt. V.

<sup>3</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, q. I, a. 1, sol. 3 c.

<sup>4</sup> Vid. s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. I, a. II, q. 2 *resol.*

<sup>5</sup> Vid. p. 205.—<sup>6</sup> Vid. p. 148.

<sup>7</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, a. II, q. I ad arg.